



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 95. An per compensationem extinguatur obligatio restituendi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42561**

enim meæ sunt pro locatione hypothecatae domino domus; vel nisi propter me, v. g. gerens mea negotia, factus sis debitor illi, hinc *Mol. T. 3. d. 743. n. 2.* universaliter dicit pro foro etiam externo valere, quando etiam aliquo modo obligatus creditori tuo, quoad id, quod solvo.

454

§. 2. Etiam liber sum solvendo creditoris mei creditoris, si ille, cui solvo, licite posset facere compensationem occultam in bonis meo creditoris, ita *Ang. Silv. Med. Mol. Rebel. L. ff. quod Lugo d. 21. n. 146.* docet valere etiam pro foro externo, quia tantum cooperor ad justam compensationem, quæ etiam in foro externo reprobari non potest, secundum dicta p. 1. à n. 959. Videri potest *ff. t. 4. d. 4. à n. 288.*

455

Q. 95. An per compensationem extinguatur obligatio restituendi. R. §. 1. Compensatio hic definitur, debiti & crediti inter se contributio, L. 1. ff. De compens. estque tum, si duo sint sibi mutuò debitores, uti si tibi debeam 10. aureos. propter emprum pannum, & tu totidem mihi debeas, quia injustè causasti damnum.

§. 2. Extra casus in Jure exceptos, si debitum sit utrimque æquale, per compensationem extinguatur obligatio restituendi, ita ut nec Judicis nec oppositæ partis consensus requiratur, L. *ambo, ff. supra, L. ult. Cod. De compens.* Idem dicit *Dicast. d. 9. à n. 120.*, si duo similibus damnis aut convitiis se affecerint, si enim Cajus restituere nolit Titio, nec tenebitur Titius restituere Cajo, sed illa debita se mutuò compensabunt. Excipiuntur autem in Jure, 1. Debita Regi vel Reipublice titulo pensionis in publicam utilitatem, L. *In ea, Cod. supra.* 2. Debita titulo depositi, L. *ult. Cod.*

suprà

suprà, L. Si quis vel pecunias 11: Cod. Depositi. Cap: Bona fides. De deposito. 3. Debita titulo commodati, L. fin. Cod. De commodato: circa ista tamen vide dicta p. 1. n. 964. 4. Res aliena, debita ex furto, L. fin: Cod. De compens. 5. Debita diversæ rationis, si enim uni sit res in certa specie debita, non satisfit solutione pretii vel alterius rei, quia injustè cogeretur permutare rem suam; licebit tamen per retorsionem non solvere, donec ipse vicissim solvat, L. Si non sortem. §. Sicutum, ff. De condict. indebiti. Videri possunt Mol. d. 560. Castrop. d. 1. p. 16. §. 2. & 3. Dicast. d. 10. à n. 117. ff. t. 4. d. 3. an. 290.

Q. 96. Quid notandum sit circa remissionem creditoris, assignationem debiti & transactionem. R. §. 1. Si creditor remittat, debitor liberatur, quamvis debitor esset in ea dispositione animi, quòd nollet solvere, si non remitteret, Med. Mol. Less. Lugo d. 21. n. 48. Dicast. n. 108. Quod valet, etiamsi fingeret animum restituendi, quem tamen non haberet, quia hæc fraus non est causa remissionis, nec facit actum creditoris involuntarium, Lugo Sanch. de Matr. l. 4. d. 9. n. 17.

§. 2. Si creditor compositionem iniit cum debitore, qui cedit foro, ut parte remissâ aliquid accipiat, talis remissio censetur coacta & conditionalis, unde debitor meliori fortunæ redditus tenebitur reliquum dare, poteritque creditor id exigere, Less. in auët. v. Restit. cas. 4. Idem est dicendum, si partem remisit, quia cogebatur subire multas molestias in petendo, sollicitando, sæpe frustra veniendo, diu expectando, item si per fraudem inductus est ad remittendum, uti si debitor finxit se pauperiorem, aut alia falsa